

cum trahit charitas, ita animæ vires suxerat et secum traxerat, ut ad nihil aliud nisi ad id ullam virtutem haberet.

Carolus Sacci, doctor theologus Parisiensis in Sermone de sancto Bernardo, qui manuscriptus exstat in monasterio nostro de Lyra, dicecesis Ebroicensis, hæc inter alia commemorat: *Exstinxit profecto, ne longius serperent, universi schismatis faces, et quidem tot tamque diuturnis peregrinationibus et vigiliis, ut mirum sit in mortali adhuc viro tantas perfectendarum rerum, peregrinationum, lucubrationumque vires fuisse, imo vero superfuisse. Non unam, sed in multis et longas noctes continentes interdum vigilavit. Ægrotationes graves secutæ, quas ille non patienter modo, sed jucundo quoque animo tulit, easdemque vitæ beatæ et celestis imitatrices appellare solebat. Interea non temperavit aut intermisit sacram Litterarum studium, quas, velut æquissimam planitiem quamdam, oculis suis propositas videre se dicere solebat. Canciones infinitas habuit, libros elegantissimo verborum cultu expeditissime scripsit: De Contemptu mundi librum unum; Meditationum librum unum; De Passione Christi et resurrectione librum unum; De diligendo Deum; De gradibus humilitatis; De Gratia et libero Arbitrio; De præcepto et dispensatione; Ad Innocentium papam de Petri Abælardi hæresibus; Ad Eugenium papam de Consideratione; ad Templarios de laude militiæ novæ; Ad Cluniacenses Apologeticum; Super Psalmum nonagesimum homilias duas de viginti; Super Cantica canticorum homilias tres et octoginta; Super Evangelium Lucae homilias quatuor; Super Canticum Mariæ librum unum; In Vitam Malachiæ episcopi librum unum; Epistolas quidem innumerabiles, quæ tamen in manibus adhuc versantur, ducentas quinque et quadraginta, etc.*

VII. — Religiosorum ex diversis Ordinibus.

Hugo, Metellus, canonicus regularis cœnobii Sancti Leonis apud Tullum Leucorum, in epistola ad ipsum sanctum Bernardum hic edita tomo I, col. 1780: *Oleum effusum, inquit, nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis tui clarissimi usque ad fines terræ pertransiit, etc.*

Hugo monachus Sancti-Mariani Autissiodorensis, in Chronico ad annum 1114: *Eodem anno, inquit, Clara-Vallis fundata est, cujus primus abbas exstitit servus Dei Bernardus, vir opinatissima sanctitate præclarus, per quem sui temporis Ecclesia in antiquum religionis decus refloruit.*

1352 Andreas Silvius Benedictinus Marchianensis in Synopsi Historiæ Franco-Merovingiæ, sic scribit ad annum 1126: *D. Bernardus abbas Clara-Vallensis quasi stella matutina monachicum Ordinem illustrat, et sanctitate, doctrina, miraculis claret in Gallia, imo Germania, Italia, Anglia; cujus vita in tantum excellit, ut parum sit omne quod in ejus laudem dictum, vel scriptum fuerit.*

Helinandus, Frigidi-Montis in Gallia Ordinis Cisterciensis monachus, lib. de Repar. lapsi, cap. 8, sic de

sancto Bernardo loquitur: *Lege pulcherrimum librum de Consideratione ad Eugenium, ex cujus nobilissimo stylo poteris intelligere, auctorem libri sapienter fuisse Apolline, eloquenter Demosthene, subtiler Aristotele, moderatior Socrate, discretior Platone.*

Cæsarius Heisterbacensis monachus Ordinis Cisterciensis, lib. xiv Mirac. cap. 17: *Bernardus in illa formidolosi schismatis flamma, qua christianus orbis flagrare cœperat, lustravit provincias, insectum reddidit quidquid factum non oportuit, et gladio verbi divini succinctus fregit terrorem armorum. Vir tantæ auctoritatis, ut per unius os Bernardi, purpurati patres, reges, principesque terrarum, quasi per commune mundi oraculum loquerentur.*

Henricus Suso, Ordinis Prædicatorum, in Dialog. de æterna Sap. cap. 14, ita sanctum Bernardum affatur: *Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ doctores benedictus sis, Bernarde melliflue, cujus anima sempiterni Verbi mirifice fuit illustrata splendoribus, qui mellito eloquio tuo, ex cordis manante redundantia, humanitatis Christi Passionem dulcissime deprædicans evehensque ita ais, etc. Merito sane, pater sanctissime Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua passio adeo indulcarat.*

Dionysius Cartusianus, Serm. 1 in Festo sancti Bernardi sic eum commendat: *Beatissimum virum sanctum patrem Bernardum Deus omnipotens et benignissimus tam copiosa atque multiplici gratia decoravit, ut vere de ipso dici posset, quod de Paulo apostolo dixit Salvator, « Vas electionis est mihi iste, » etc. (Act. xi, 15), et quod in Ecclesiastico legitur, « Non est inventus similis illi » (Eccli. xlv, 20). Non enim tempore suo habuit æqualem in mundo, sed vere Apostolus fuit temporis sui. Et serm. 2: *Electissimus Dei Bernardus, omnium religiosorum excellentissimus doctor, lumen et gloria monachorum, exemplar ac species devotorum, tot et tantis desuper præventus est gratiis, tot excellentiis decoratus, tot privilegiis sublimatus, ut non sint ingenia quæ valeant penetrare, nec loquelæ, neque sermones qui possint exprimere, tantumque virum sufficienter laudare.**

Sixtus Senensis Ordinis Prædicatorum, Bibliotheca sancta, lib. iv: *Bernardus, inquit, vitæ sanctimoniam et præclara eruditione præstantissimus, sic ab infantia sacras Litteras imbibat, et per omnem ætatem memoria retinuit, ut quoties aut aliquid scribere, aut loqui tentaret, toties in verba et sententias sanctarum Scripturarum prorumpere cogere-tur. Unde et diversa scripta ejus, quæ nihil aliud quam centones divinatorum voluminum dici queunt, undecunque Veteris ac Novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematis, hisque adeo commode et apte insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis et in moribus formandis fere semper ver-*

satur. Oratio ubique dulcis et ardens ita delectat et ardentem incendit, ut suavissima lingua ejus melet lac verborum fluere, et ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur.

Hieronymus Platus Societatis Jesu, lib. iii de bono statu Relig. cap. 11, hæc inter alia scribit: *Quid de Bernardo dicemus? quem vere appellare possumus 1353 plane mellitus, qui spiritualibus documentis scatens, iisque optimis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stylum immisceat, et contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur. Quæ res una cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem.*

Petrus Canisius ejusdem Societatis, Marial. lib. v, cap. 28: *Florebat sub Lothario II et Conrado III Bernardus Clara-Vallensis, vir in Gallia, Germania, Italiaque percelebris: quem omnes non solum ob doctrinam divinitus inspiratam, sed etiam propter vitæ sanctimoniam, clarissimis sæpe miraculis demonstratam, merito suspicerent ac reverentur; quo uno melius nec scripsit, nec vixit quisquam in universo cœtu monachorum, nisi Lutheri quidem calculum admittamus.*

Aloysius Gouzoga ejusdem Societatis, ut legitur in Vita ipsius, lib. ii, cap. 32: *Lectionem Bernardi, tam sibi in vita jucundum neque morti vicinus omisit. Nam in morbo qui illi postremus fuit, Bernardum adeo charum habuit, ut quotidie aliquid ex ejus in Cantica Sermonibus sibi prælegi curaret.*

VIII. — Jureconsultorum et oratorum.

Franciscus Petrarca lib. ii, de Vita solit. cap. 14: *Solebat, inquit, dicere Bernardus, omnes se quas sciret litteras (quarum nescio an alius sua ætate copiosior fuerit), in silvis et in agris didicisse, non hominum disciplinis, sed meditando et orando, nec se ullos nunquam magistros habuisse præter quercus et fagos.*

Nicolaus Pithæus in epistola præmissa Thesauri suo ex Operibus sancti Bernardi: *Magna mihi cum D. Karolo Perroto amicitia et familiaritas est. Eum igitur die quodam cum, uti soleo, adissem, ac variis de rebus multa ultro citroque essemus colloqui in-jecta mentio est divi Bernardi Clara-Vallensis cœnobii abbatis primi: quem tantis ille laudibus extollebat, tantique scripta ejus faciebat, ut ad ea evolvenda animum induxerit meum... Atque ita quod futurum ille prædixerat, verum esse comperi. Tanta enim ex ejus me lectione voluptas cepit, ut omnes penes illas, quæ animum meum tam misere cruciabant, molestias absterserit. Idem inferius: *Bernardum quoddam quasi Ecclesiæ ruentis columen atque sustentaculum appellat.**

Justus Lipsius, Lovanii regius professor et historicus, rogatus ab Auberto Miræo, quosnam e Patribus legendos formandis concionibus judicaret, hoc responsi dedit, Epist. 49, Centur 3: *Mihi inter omnes Græcos placet Chrysostomus... Inter Latinos Bernardus me capit, et usum habet excitandi,*

ob acrimoniam ubique et calorem; tum etiam docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen quas crebro et salubriter miscet.

Renatus Choppinus, in supremo Parisiensi Senatu advocatus, lib. ii de sacra Politia: *Eadem tempestate, inquit, D. Bernardus emicuit, cœnobita quercuumque discipulus, et nullo præeunte magistro doctissimus, qui e solitudine in celebritatem, ex umbra in solem sanctitatem eruditionemque importavit. Is tam πολυγραφος, quam ἀποδιδάκτο; quod paucis admodum id genus scriptoribus cernimus contigisse.*

IX. — Illustrium Feminarum.

Sancta Hildegardis Montis-Sancti-Roberti prope Bingen abbatissa in quadam epistola ad sanctum Bernardum, sic illum exprimit: *Ego ante duos annos te in hac visione vidi sicut hominem in solem aspicerem, et non timere... Tu aquila es aspiciens in solem.* etc.

1354 Sancta Gertrudis abbatissa monasterii Elpedani, in comitatu Mansfeld. describit modum quo sibi apparuit sanctus Bernardus, lib. iv Insin. cap. 51. Inter cætera vero sic ait: *Pectus quoque ejus sanctissimum, collum et manus videbantur aureis quibusdam laminis, gemmisque rosei coloris valde rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Unde et per laminas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ ejus salutaris, quam corde devoto sedulo retractans, per gutturis sacri ministerium ore sacro edidit, et manibus sanctis fideliter conscripsit omnibus in eis proficere volentibus ad salutem. Per gemmas vero figurabantur illa dicta, quæ specialius redolent divinum amorem.*

Beata Mechtildis, ejusdem beatæ Gertrudis in eodem cœnobio comes, sic scribit in libro Gratia spir. cap. 91: *In medio Ecclesiæ, sancti Bernardi, singulariter a Deo in benedictionibus dulcedinis præventi Dominus aperuit os; quia Spiritus sanctus eum tam affluenter et superabundanter influendo repleverat, ut velut cum ventus rapidissimo impetu januam aperit, ita Spiritus sanctus impulsu ea quæ sibi divinitus inspirabantur, charitate accensus infudit, et Ecclesiam sua doctrina multum illuminavit, et implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ et intellectus, et supra quam dici potest mente illustratus, licet multa effuderit, multo tamen plura intellectu reservavit.*

X. — Heterodoxorum.

Martinus Lutherus, in colloq. Convivial. cap. de Patrib. Eccl.: *Bernardus, inquit, omnes Ecclesiæ doctores vincit: sed cum disputat, in alium virum mutatur; ibi nimirum tribuit libero arbitrio.*

Michael Neander de eodem ita scribit, Præfat. ad Gnomolog. Græcorum: *Plus spiritus vitæ, doctrinæ et fidei in paucis aliquot paginis D. Bernardi reperitur, qui philosophiam non attingit, sola Scriptura contentus, quam adeo familiarem sibi fecerat, ut mera Scripturæ verba loqueretur, quam in toto Hieronymo, qui linguarum, artium, philosophiæ, anti-quæ sapientiæ cognitione cunctis præstabat,*

Martinus Bucerus, lib. de Concord. art. de Justif. Bernardum virum Dei nominat.

Joannes OEcolampadius citatus, a Guthberto Tostallo lib. de verit. Corp. Christi in Euch.: *Excellebat, ait, Bernardus exactiore judicio omnes suæ ætatis viros.*

Joannes Calvinus, lib. iv Inst. cap. 11, § 10, hæc testatur: *Bernardus abbas in libris de Considera-*

tione ita loquitur, ut Veritatis ipsa loqui videatur. Item cap. 10. § 17, Bernardum vocat pium et sanctum scriptorem.

Daniel Heinsius, Orat. 3: *Quis, inquit, suavius Bernardo scribit? cujus ego Meditationes rivum paradisi, ambrosim animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare soleo.*

OBSERVATIO.

Horstius hoc in loco refert iniquas et erroneas Centuriatorum Magdeburgensium censuras, ex eorum Centuria 12 excerptas, quibus in sancti Bernardi gesta et dicta nonnulla superstitionis nomine impie aut inique cavillantur. Has vero censuras, quas in 22 articulos distinxit idem auctor, brevitatis ergo in decem capita præcipua revocavimus, ne aliquid prætermisissse videamur. Et quidem primo sanctum Bernardum notant Magdeburgenses, quod Hostia in Missa oblatæ et consecratæ cultum adhibuerit, eaque usus sit ad demones expellendos 2, Quod sanctorum reliquias veneratus sit. 3, Quod rebus benedictione sacra munitis quamdam crediderit inesse virtutem. 4, Quod Romanum Pontificem adversus impugnatores defenderit, eique jus investiturarum asseruerit contra Lotharium imperatorem. 5, Quod extra Ecclesiam 1355 catholicis sperandam esse salutem negaverit. 6, Quod expeditionem sacram, quam Crucem vocant, prædicaverit. 7, Quod veritatem a mortuis expiscatus sit, iisque prodesse crediderit Missæ sacrificium. 8, Quod miracula ad errores, ut ipsi loquuntur, confirmandos perpetraverit. 9, Quod vitam monasticam propagaverit, et ad illam induxerit plurimos; in primisque sorori suæ licet conjugate inter dixerit omni vestium pompa, ejusque a viro separationem probaverit, ut ipsa claustrum ingrederetur. 10, Quod ipse Bernardus in stagnum rigens se injecerit studio castitatis, ac in summa corpus suum iniquius torserit. Et hæc quidem sunt superstitionis illa, quæ in sancto Doctore hæretici calumniantur opera, quibus singulis acres potius invectiones, quam refutationes Horstius apposuit. Verum cum 1356 illa non tam ipsum Bernardum, quam communem catholicæ religionis causam impugnent, iisque copiose et erudite sit responsum a multis, non visum est illis diutius immorandum. Certe hæc, quæ tanquam superstitionis criminantur hæretici, longe validius in eos regeri possunt pro Bernardo: quem cum virum Dei appellet Bucerus, Calvinus pium et sanctum; cum superstitionis ad mortem usque factis addictum fuisse nefas est, opinari. Ac proinde ea nequaquam superstitionis nomine in Catholicis notanda sunt, quæ quominus Bernardus sanctus, et miraculis a Deo illustratus fuerit, efficere non potuerunt. Cæterum consulat Lector, si lubet, Confessionem Bernardinam, ex sancti Doctoris operibus expressam a P. Theodoro Petreio Cartusiano Coloniensi, ubi loca doctrinæ catholicæ in certas classes digesta reperiet.

HORSTII PARÆNESIS AD SECTARIOS

De sancto Bernardo cum fructu ab ipsis legendo.

Diversas sectariorum de Bernardo censuras audivimus. Alii laudant, alii vituperant: nisi forte in eo conveniunt omnes, quod adversantem suis ipsorum placitis et moribus omnes æque damnant ac rejiciunt. Hæc tamen quæ ipsi tanquam doctrinæ suæ contraria improbant, nos Catholici vel ideo probanda et amplectenda ducimus, quia Bernardum aliosque illi similes viros sanctissimos, talia docuisse et fecisse, adeoque diversa ab illis via incessisse novimus. Sanctitas nimirum vitæ doctrinæ astipulatur, et falsa nobis doctrina, aut erronea fides videri nequit, quam viri tanta sanctitate illustres tenuerunt. Cui sibi plus credi volunt, nullo sanctitatis suffragio nixi, quam sanctissimo Bernardo, aliisque orthodoxis Patribus, quorum doctrina et fides tot sanctitatis argumentis, imo tot signis et miraculis comprobatur? Sane non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos. Quis enim sanæ mentis sibi persuadent, hominem impia, falsa, absurda, erronea docentem; idololatriæ, superstitioni, vanis observantiis deditum, qualia atrî isti censors, Centuriatores, Bernardo impingunt; inter hæc nihilominus continuis gratiæ incrementis apud Deum et homines proficere, et ad tan-

tam divini amoris, omnique virtutis perfectionem emergere potuisse?

Porro, quid de præcipuis orthodoxæ fidei capitibus Bernardus senserit, scripta ejus abunde testantur. Sed etsi nihil litteris commendasset, ipso vitæ tenore satis ostendisset, cui Ecclesiæ adhaererit, quam a vobis doctrina et moribus alienus fuerit, Nam vos modo paulisper affari libet, o sectarii, quibus etiam Bernardum subinde legere lubet; si forte detur et aliquando intelligere, et respicere. Missa vobis mera et horrenda idolomania est: at quoties Bernardus Missam, verum Deo sacrificium obtulit? Non facile illam intermississe ad extremum usque spiritum, testatur Vita; et vos ipsi etsi non sine calumnia. Nonne ipsa Missæ oblatione demones sæpe terruit et profligavit? Nonne Guillelmum ducem Aquitanie, pertinacem illum schismatis fautorem nullis cedentem minis ac monitis, post oblatum sacrificium ab altari veniens, dextra, non ferro, sacra Domini corporis hostia, armata percussit, et expugnavit? Legite et intelligite, si forte et tandem expugnetur duritia cordis vestri, etc.

Sed longius progredior, quam ferat instituti ratio: paucis duntaxat vos commovere ferebat ani-

mus, ne præ Bernardo vos sapere arbitremini. Cur enim novitatem a veteribus damnatam, veteres damnantem inducitis? cur non tenetis viam, qua Bernardus, sanctique illi viri et confessores, totaque antiquitas cælum petiit? Si errare vos non creditis, qua isti pergant via videte: si agnoscitis, cur peritos viæ duces non sequimini? cur non vel tandem eo reditis, unde discedere nunquam oportuit?

Ego quidem, ut ingenue de me fatear, si vel ab ineunte ætate vestris imbutus essem erroribus; vel si quocumque casu a tramite veritatis et orthodoxæ religionis ad sectas vestras deflectere contigisset, solus mihi Bernardus sufficeret, qui vestra mihi dogmata suspecta redderet; imo, qui devinm reduceret in viam veritatis. Sic quippe ratio cinarer mecum. Si vera non sunt, quæ vir tam eximie et irrefragabilis sanctitatis tenuit et docuit, quomodo tanta sanctitas cum tanta falsitate consistere potuit? Sanctitatem ejus inficiari non possum, quam video a tot viris gravissimis, et scriptoribus omni exceptione majoribus, quin et ab ipsis ejus æmulis contestatam. Miracula quoque innumera in ejus confirmationem edita conspicio, quæ negare velle, non videtur esse hominis prudentis; calumniari autem tanquam præstigias et opera Satanae, id prorsus videtur hominis male sani, nedum maligni, cum

talia non nisi divina virtute fieri potuerint. At vere in confirmationem errorum talia patrata credere, id vere foret hominis prorsus impii, et in Deum blasphemæ, ac in sanctos ejus injurii. Liceat hic merito illud sancti cujusdam Doctoris insigne dictum usurpare: « Domine, si error est, a te decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per te ipsum fieri possunt; certe a summæ sanctitatis viris nobis tradita, et cum summa, et authentica attestazione probata, te ipso cooperante, et sermone confirmante sequentibus signis (229). »

Hæc in gratiam vestri, o sectarii, quia sapientibus et insipientibus me debitorem agnoscere: quamvis vobis super docentes vos intelligere et sapere videamini. Sed miror tamen quid vobis sit animi, dum Bernardum legitis, toto a vobis cælo dissidentem; conscientia haud dubie præjudicatis opinionibus reclamante. Legite deinceps; hoc unice precor, et suadeo: legite, inquam, et si ulla vobis cura salutis, intelligite. En lucem sanctitatis et ducem veritatis Bernardum vobis exhibeo: aut si mavultis, ipsum vobis apprecor, qui est lux vera, imo via, veritas, et vita.

(229) Richard. a S. Vict. lib. i de Trinit. cap. 2.